

miracion que el libro de los Salmos se divida en veinte y dos secciones, pues convenia que un libro tan importante como este, que debia estar continuamente en las manos de los judíos y de los cristianos, llevase una señal que nos estuviera indicando que es nuestro alfabeto.

de Moises: 1 Génesis, 2 Exodo, 3 Levítico, 4 Números, 5 Deuteronomio. 2.<sup>a</sup> ocho libros de los Profetas: 1 Josue, 2 Jueces, y Rut, 3 Samuel, que nosotros llamamos 1.<sup>o</sup> y 2.<sup>o</sup> de los Reyes, 4 Reyes, que nosotros llamamos 3.<sup>o</sup> y 4.<sup>o</sup> de los Reyes, 5 Isaias, 6 Jeremías, 7 Ezequiel; 8 el libro de los doce profetas menores: 3.<sup>a</sup> nueve libros de los *agiógrafos* ó *autores santos*: 1 Job, 2. Salmos, 3 Proverbios, 4 Eclesiastes, 5 Cánticos, 6 Daniel, 7 Paralipómenon, 8 Esdras y Nehemias, que nosotros llamamos 1.<sup>o</sup> y 2.<sup>o</sup> de Esdras, 9. Ester.

---

EXCURSUS\*

DE LEPRO ORIENTALI

ET

LUE VENEREA.

---

NULLUM fere unquam morbum invenias qui alius ad alium, magis minusve, multa similitudine non accedat. Hoc fonte tot derivatæ in homines ferasque ipsas fluxere clades, quibus doctissimi inter medicos obviam ire conati sunt; at frustra sæpius; cum et ipsi, aut variis inexpectatisque morborum signis decepti, aut opinio-num commentis delusi, erroribus, quos tam acriter profligant, regressis denuo viam aperuerint. Nemini itaque mirum videbitur scriptores nostros, homines quos omnium novimus in sacris litteris versatissimos, sed artis medicæ prorsus expertes, eo devenisse, ut lepram orientalem cum lue venerea promiscue haberi posse docuerint. Ad id eos præcipue movit, non modo quorundam veterum alioquin peritissimorum medicorum auctoritas, quod quidem rationi satis congruit, sed et nonnullorum viatorum, cui hominum generi, utpote ad mentiendum procliviori, haud plus æquo fidendum esse vulgo censetur. Ne autem nostra Lectorumque suffragia ei doctrinæ paulo incautius adjungantur, quæ calumniis philosophorum parumper faveret, annotandum mihi visum est discrimen quod lepram orientalem inter et luem veneream ipsa natura fecit; quæ igitur ad hujus rei caput maxime pertinent, quam paucissimis, ut fastidium vitetur, verbis exponam.

Medicina clinica jamdiu confectum est, sicuti jam obiter memoravimus, morbos adeo esse multiplices, ut nonnisi signis mature admodum

Vide hujusce excursus causam ad ejus calcera et in præfatione hujus libri.

exploratis iisque diversis inter se aut repugnantibus, a se invicem separentur. Satis est tamen inter ea signa unum duntaxat observari quod speciale sit, nulla ceterorum omnium habita ratione. Etiam si igitur reperire esset symptomata in duorum morborum natura posita et utriusque communia, injuria tamen alterum pro altero quis acciperet. Ita parit quandoque genitalibus malum venereum, et ea arripit lues scorbutica. Casu ergo fieri potest ut scorbuticus homo idem ac venereus in genitalibus patiat, nec ideo in mentem medicorum cadit utrumque malum iisdem tentare remediis et ita ultro in errorem labi eo graviolem, quod utriusque ægrotanti mortem improvidi maturarent. Sed causam meam multo efficacius adjuvant quæ in lepra orientali et lue venerea percipiuntur symptomata. Traduntur enim plurima lepræ extranea quæ morbo venereo propria sunt; et vice versa. Hæc sunt signa lepræ nobis a Moyse tradita libro Levítico cap. 13<sup>o</sup> quæque magnam, longo non obstante seculorum tractu, apud medicos fidem etiamnum obtinent: „Locus lepræ, carne reliqua humilior; pili in candorem versi; candor in cute apparens; capilli flavi solitoque subtiliores.” Genitalia omittuntur, non propter verecundiam; quis enim nescit in sacro codice suo res nomine appellari, ut in populo moribus et vita simplici, necdum ea morum corruptela vitiat, qua nos Europæi præsertim, auribus et oculis multo delicatioribus facti, tam misere laboramus? Præterea de unguibus, dentibus et gengivis alte siletur. At contra, pustulas carne reliqua elatiores exhibet malum venereum. Ungues, dentes et gengivas præcipue inficit. Varius utriusque morbi propagationis modus, sedes varia; et quod ceteris omnibus diagnosticis signis majus est, omnimodus leprosa cutis stupor, et acuta venereæ irritabilitas. Adde quod ante alia corporis membra, malum venereum, ex sexuum permixtione ortum, genitalia invadit et occupat.

Superest nunc aliquid exponendum, quæ me scilicet causa impulerit ut quod summis ingeniiis exquisitaque doctrina fuit pertractatum et judicatum, ego etiam viderer novæ disputationi committere. Cum enim hostili illo, quod philosophicum vocant, in scripturam sacram odio velde offendar, et ea sit lugenda nimis animorum dispositio quæ paradoxa alia aliis absurdiora, si de religione agatur, avide, combibat, virum inter Sanctos veteris testamenti probatissimum suaque in Deum seu commiserantem seu sævientem fide celeberrimum, ab dieteris perditorum hominum vindicare mihi animus fuit. Hortabatur etiam ut me ad illud studium conferrem scriptorum nostrorum opinio, quam eo periculosiorem judicavi, quod, ipsis haud dubie invitis, ab infensa non tantum in Job, sed in David etiam, quosdamque alios viros tam Deo quam hominibus acceptos, sententia, non ita, ut decebam abhorrere mihi visa est.

D\*\*\*\*